

populum ad hunc tam pium ac tam salutarem sacramenti usum, crebris admonitionibus, multoque studio cohortentur¹.

353. — De tam laeto arguento finem facientes hoc unum memoramus ut, nempe, Bonus Pastor illius Divinae Veritatis intentionem reputans, quae in mundum venit ut vitam haberent oves, et *abundans habent*², Ecclesiae sollicitudini quae nihil antiquius habet ut coelestis Sponsi singulari amori respondeat, pro viribus satisfacere contendat. Hac quoque in re, enim, *melior est obedientia quam victimae*³.

Art. V.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

§ I. De Matrimonio quoad ecclesiasticas leges in genere.

SUMMAE RERUM. — 354. Animadversiones praeviae. — 355. Quae, canones juxta, generalis huius Sacramenti idea sit.

354. — Quamquam, docente Apostolo⁴, immo Ipsa Verita testante, in virginitate aut coelibatu vivere, quam matrimonio iungi melius beatiusque sit, attamen perpetui indissolubilisque nexus quem naturalis quidem amor init, Gratia vero Christi perficit, et ad Sacramenti nobilitatem adducit, non parva dignitas est. Bonus, igitur, Pastor in hoc venerabile Sacramentum, quo non modo in humanae naturae remedium ac necessitatem, frequentior ac communis perfectionis via ac ratio est, sed et humanae familie principium ipsiusque societatis omnis veluti germin exstat, peculiari reverentia ac ratione agi dignum iustumque est.

355. — Heic quoque sacri praecedant canones, in quibus recolendis, quum agatur de Sacramento qui non tantum liceitatem, sed, et ex divino jussu validitatem a lege accipiat, satis completam synopsim⁵ tum ex vetere, tum ex novissimo iure conflatam, exhibemus. Igitur:

I. Matrimonium naturale, est « maris et feminae conjunctio legitima individuum vitae consuetudinem retinens»⁶, idest, contractus legitimus [in fieri] inter marem et feminam, individuum vitae consuetudinem [in facto esse] afferens.

¹ S. C. C. *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905 — Cfr. Eamd. 12 feb. 1679;

S. C. EE. et RR., 12 august. 1891; S. C. C., 13 sept. 1906: Leo XIII encycl. *Mirae caritatis*, 22 maj 1902.

² Cfr. *Joann.* X, 10.

³ *I Reg.* XV, 22.

⁴ Cfr. *I Corinth.* VIII, 36-38.

⁵ Cfr. *Math.* XIX, 10.

⁶ Cfr. Deshayes et DD. *cit.*

⁷ Cap. II, *De Praesumpt.*

a) Materia¹ « naturalis contractus » sunt ipsae contrahentium « personae », [materia remota] prout sibi jus matrimoniale « tradentes » [materia proxima]; quae etiam, sub alia tamen consideratione, efficiens² causa matrimonii dicitur.

b) Formalis causa, sive essentiae matrimonii « in fieri » consistit in ipso legitimo contrahentium consensu³ de mutua traditione corporum; essentia matrimonii « in facto esse » constituitur, non quidem usu corporum⁴, sed vinculo quo conjuges, mutua iurium et officiorum obligatione, remanent devincti.

c) « Primarius » finis operis⁵ matrimonialis est procreatio, et deinde educatione prolis; « secundarius », tum vitae mutuae adjutorium et solamen, tum, in praesenti statu naturae lapsae, concupiscentiae remedium⁶.

d) Finis operantis in matrimonio, praeter ipsum finem operis, esse potest absolute, absque detimento validitatis, quaelibet intentio extrinseca matrimonio, bona vel etiam mala, quae, tamen ipsi substantiae contractus non sit opposita. Licit ergo inire conjugium, eoque uti, propter finem [honestum tamen] a finibus ipsis matrimonii diversum⁷.

II. Matrimonium christianum⁸ est sacramentum quod describitur: « Contractus legitimus et indissolubilis inter virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad generationem prolis, elevatus a Christo Domino ad dignitatem sacramenti ». Ad rem:

a) In matrimonio christiano contractus non est « a sacramento dissociabilis », atque ideo non potest inter christianos contractus verus et legitimus consistere qui non sit eo ipso sacramentum⁹.

b) Materia hujus sacramenti est mutui juris « traditio » externe manifestata; forma vero: a) « naturalis intrinseca » est ipse contrahentium consensus, sive traditionis alterius acceptatio sensibili signo expressa; b) « legalis extrinseca » [ubi viget Tridentinum] est juris positivi solemnitas ad ejus valorem requisita, videlicet praesentia Parochi et testimoni per decreta *Tametsi* ac nuperrimum *Ne temere* [2 aug. 1907] prescripta.

c) Ministri¹⁰ hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes, non autem Parochus, cuius est tantummodo in hac materia testis qualificati partes agere.

d) Subjectum hujus sacramenti est quilibet christianus, nullo impedimento dirimente, vel prohibitorio ligatus.

III. Omnibus et singulis ab ipsa natura « jus » est et generatim « inclinatio » ad matrimonium; nemini tamen per se obligatorium est; ideoque licitus, immo potior est coelibatus. Nulla ergo humana auctoritas cuique valet praecipere aut prohibere matrimonium.

IV. Proprietates¹¹ praecipuae matrimonii sunt unitas et indissolubilitas, quae, radicaliter in natura fundatae, speciali modo firmatae inveniuntur in matrimonio christiano. — Matrimonium, enim, ex sui constitutione, dumtaxat inter duos esse debet; ipsi ergo repugnat simultanea « polygynia », et a fortiori, « polyandria ».

¹ S. Alph., VI, 880.

² Id., 897.

³ D'Annibale, *Op. cit.* II, 408.

⁴ Lehmkuhl, II, 865.

⁵ Genes., I, 28; S. Thom., IV sentent.,

d. 39, q. 1 et 2; Gasparri, *Op. cit.*, n. 208.

⁶ I Corinth. VII, 2. 5. 9.

⁷ S. Alphons., VI 881.

⁸ Leo XIII, *Arcanum*, 1 febr. 1880, Trid. XXIV. c. 1.

⁹ Leo XIII, *Arcanum* cit.; Syllab. 67, 73; Pius IX, *Apostolicae*, 1851; Pius VIII, *Humilitati*, 24 maj, 1829.

¹⁰ Cfr. Benedict. XIV, *Synod.* VIII, XIV, 15; Lehmkuhl, II, 691.

¹¹ Cfr. Leo XIII, *Arcanum* cit.

Praeterea vinculum nuptiale « sic est Dei voluntate intime vehementerque nexus, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat ».

V. Praedictis proprietatis, utroque etiam jure divino [naturali et positivo], proxima accedit tertia proprietas, ea, videlicet, quae jura et officia « quoad prolem » respicit. — Triplex ideo bonum¹ per modum proprietatis, matrimonium comitari debet: bonum fidei [unitas], bonum sacramenti [indissolubilitas], et bonum prolis.

VI. Quoad legislationem matrimonii: a) matrimonium naturale² primario refertur « ad Deum et ad individuos », secundario, « ad societatem »; hinc b) lege divina [naturali et positiva evangelica], b) libera contrahentium voluntate, et c) lege sociali, respective regitur.

b) Quandoquidem apud christianos matrimonialis contractus, praecise ut talis, rationem habet sacramenti; ipse, quoad validitatem et liceitatem, solis regitur Ecclesiae legibus, ad quam pertinet universaliter de omnibus causis matrimonialibus ferre judicium³. Non prohibetur tamen Principum auctoritas, jure suo, civiles effectus « separabiles » a substantia matrimonii determinare.

c) Matrimonium haereticorum, schismaticorum et generatim quorumlibet baptizatorum a catholica societate dissidentium, per se juri ecclesiastico subjicitur; solet tamen cum istis Ecclesia, pro diversa circumstantiarum opportunitate, aliquid de sui juris exigentia remittere.

d) Matrimonium infidelium jure naturali, evangelico et civili, non autem canonico, regitur. Indirecte tamen, ratione partis baptizatae, Ecclesia potest substantiam ejus attingere [casus Apostoli, disparitas cultus, etc.].

e) Differt ab aliis contractibus⁴ matrimonium eo quod sit aliquid sacrum et sanctum, re, auctore et mysterio; quea praesertim in sacramento verificantur; unde dicitur favore juris gaudere, et regulariter, in dubio, standum est semper pro validitate contractus.

f) Praerequiritur omnino baptismus [non tamen pro parte infidi, in casu dispartitis cultus, ut patet]; minus stricte requiritur sacramentum Confirmationis; per se, Poenitentiae sacramentum non exigitur.

§ II. — De matrimonii impedimentis.

SUMMAE RERUM. — 356. Animadversione praeviae. — 357. De impedimentis impeditibus. — 358. De aliis dirimentibus, ubi nuperrimum jus pianum ex decreto. *Ne temere* recolitur.

356. — Quum in matrimonio de tanti momenti re agatur quae per universam vitam contrahentes adstringit, et in civilis ac christianaee societatis fundamentum sit, ad utrosque tutandos tum ipsius humanae naturae Auctor, tum, eius auctoritate, Ecclesia, conditiones quasdam posuere, quae si desint, ad contrahendum impedimenta habentur, de

¹ D'Annibale *Op. cit.* 427, 31.

² Id. *Ibid.* III, 425.

³ Feije, *De impedimentis c. I. § 1, 2,*

³: Cfr. Syllab. 69, 70, 74; Bull. *Aucto-*

rum fidei, 50; Leo XIII, *Arcanum* cit; D'Annibale, III, 425.

⁴ Cfr. Leo XIII, *Arcanum* cit.

quibus brevem, at satis completam, praemittere synopsim¹ necessarium ducimus].

357. — Impedimenta matrimonii mere prohibitiva seu impeditia illa dicuntur quae solam contractus liceitatem impediunt; his, igitur, stantibus, valide quidem, sed non sine peccato inirentur nuptiae. Ad rem:

I. Jure hodierno impedimenta impeditia sunt: sponsalia, votum, mixta religio, tempus, Ecclesiae vetitum; quibus, minus proprie, dissensus parentum et indignitas sponsorum accidunt. Ad rem:

a) Non licet eis qui sunt valido sponsalium vinculo conjuncti, alias nuptias inire et hoc plura infra pag. 425.

b) Non licet contrahere matrimonium post emissum votum matrimonio oppositum, quale est]: a) votum non nubendi seu coelibatus [non reservatum], b) votum virginitatis [non res.], c) votum perpetuae castitatis emissum in saeculo [res. S. Pontifici], d) votum suscipiendo sacros Ordines [non res.], e) votum ingrediendi religionem solemnem [res. S. Pontifici]².

c) Impedimentum mixtae religionis³ seu imperfectae disparitatis cultus habetur inter partes quarum una catholica est, altera autem acatholica [haeretica vel schismatica]. Stricte prohibentur ab Ecclesia matrimonia mixta, et nulla consuetudo⁴ contra hanc legem dicenda est praevalere.

d) In impedimento mixtae religionis non dispensatur [a S. P.] nisi ea praeposta et jurata conditione, ut proles futura in catholica religione educetur⁵. — Tali matrimonio non praemittuntur proclamationes bannorum⁶; — ipsi sacerdos proprius cum testibus, ad formam *Ne temere*, extra ecclesiam⁷ assistit; — non datur benedictio nuptialis⁸, nec consueta formula « ego vos conjungo » profertur⁹. — Haec omnia de jure communi, nisi aliter, pro gravitate circumstantiarum, fuerit ab Apostolica Sede statutum.

e) Ecclesiae vetitum latiori quadam sensu generatim impedimenta juris ecclesiastici complectitur. Non licet, ideo, matrimonium inire: a) contra generali juris prohibitionem [qualis est v. g. lex de bannis, de statu libero, de solemnitate liturgica, et praesertim de mixta religione], b) contra specialem prohibitionem superioris ecclesiastici alteriusve personae ad hoc legitima auctoritate pollutis; ita ipse Parochus valet, ex juxta ratione, ad tempus, impedire celebrationem matrimonii.

f) Consensus parentum canonico jure ad validitatem matrimonii non requiritur; illicite tamen filiifamilias contrahunt parentibus inconsultis, aut justa de causa dissentientibus. Et de hoc mox ad pag. 452.

g) Publice indigni [publici peccatores, censurati, haeretici, etc.], regulariter a christiano matrimonio debent arceri, nisi Parochi assidentia, ex causis vere gravibus, possit excusari, quo in casu celebratio tamen Missae omittitur.

¹ Cfr. Deshayes et D.D. cit.

² Cfr. Benedict. XVI, Synod. VI, III, 3: Constit. *Matrimonium*, 4 nov. 1741 et *Magnae nobis*, 29 jun. 1748.

³ Cfr. S. C. Inq. 21 jul. 1880, 12 dec. 1888.

⁴ Instruct. S. Offic., 1871.

⁵ Instruc. *Secret. Stat.* 15 nov. 1858.

⁶ Pius VI, *Ad Archiep. Mechlin.* 13 jul. 1783.

⁷ S. Offic. 17 jan. 1877.

⁸ Id. *Ibid.* et Instruct. *Antonelli*, 15 nov. 1858.

⁹ Id. 26 nov. 1835.

h) Occulta indignitas [defectus catechismi, gratiae sanctificantis, etc.], non impedit quominus licita sit « in foro externo » adistentia Parochi, cuius tamen erit, omni possibili et prudenti modo, occultum etiam sacrilegium praecavere.

i) Praeterea, generatim, omissionis cuiuslibet conditionis requisitae, ratione circumstantiarum aut personae, ad rectam sacramenti confectionem et receptionem, illicitum reddit matrimonii contractum.

l) Dispensat generatim solus S. Pontifex¹ in impedimentis prohibitivis de jure communi, aut ex causa Sedi Apostolicae reservata provenientibus, v. g. in sponsalibus, in impedimentis voti reservati, mixtae religionis, Pontifici vetiti, haereseos, censurae reservatae, etc.²

m) Dispensat Episcopus: *a)* in proprio vel inferioris vetito, *b)* in voto non reservato, quale censetur etiam votum castitatis aut ingrediendi religionem, si non fuerit perpetuum et absolutum, *c)* in tempore clauso.

n) Dispensatione proprie non indiget, sed emendatione, qui defectu gratiae sanctificantis aut ignorantia catechismi laborat, aliove defectu, per privatam sponsi, confessarii vel Parochi, alias personae industriam, sanabili.

353. — Impedimenta dirimentia matrimonii illa dicuntur quae ipsam validitatem contractus impediunt. In re:

A) In genere:

I. Alia sunt impedimenta dirimentia de jure divino [naturali aut positivo evangelico], alia de jure humano, suprema auctoritate pro bono communis societatis inducta.

II. In matrimonio christianorum, solius est ecclesiasticae³ potestatis; *a)* tum impedimenta quaecumque prohibativa, vel dirimentia juris humani statuere, *b)* tum impedimenta divini juris declarare et interpretari.

III. Impedimentis juris divini, naturalis aut evangelici, ligantur universaliter omnes homines⁴; impedimentis juris ecclesiastici: *a)* directe, soli et omnes baptizati, etiam dissidentes acatholici, nisi in casu particulari pro ipsis fuerit aliter a Sancta Sede statutum, *b)* indirecte, etiam infidelis contrahens cum baptizato, qui impedimento dirimente juris ecclesiastici tenetur.

IV. A lege irritante impedimentorum non excusat: *a)* grave incommodum [nisi iuri ecclesiastico incommodum de jure naturali aduersetur], *b)* metus gravis aut ignorantia⁵ etiam invincibilis, *c)* impossibilis petendi et obtainendi dispensationem, *d)* mortis periculum.

V. Ab impedimentis juris ecclesiastici [hoc intellige praesertim de clandestinitate] excusat « diurna » et « communis » impossibilitas⁶ observandi legem Ecclesiae; haec excusatio est semper strictae interpretationis. An autem excuset quandoque etiam privata, cfr. Auctores de « casu perplexo ».

¹ Bucceroni, *Instit. moral.*, n. 69.

² Cfr. *S. C. Sacrament.* 29 jan. 1909.

³ Trid. XXIV. c. 3, 4, 9. — *C. Auctorem fidei*, 59, 60: Syllabus, 68, 71; Leon. XIII, *Arca* cit.; Benedictus XIV, *Synod.* XII, V, 3.

⁴ D. Thom. IV Sent. d. 24 a. 1. ad 4: D'Annibale 1, 197.

⁵ Benedict. XIV, *Magnae nobis*, cit.: *Ad tuas*, 8 august. 1748: *Singulare*,

9 febr. 1749; *S. C. C.*, 26 sept. 1602, 2 august. 1725.

⁶ S. Offic. 9 dec. 1874.

⁷ Cfr. Ballerini — *Palm.* VI, n. 1198.

VI. Scilicet cum impedimento dirimente certo, quamdiu subsistit, matrimonium contrahere et a fortiori consummare, non licet.

VII. Cum impedimento dirimente dubio: *A)* si sit de jure divino, naturali aut positivo, non licet contrahere; *B)* si sit de jure ecclesiastico, iterum distinguitur: *a)* si dubium sit juris, licet; *b)* si sit facti, non licet; *c)* si dubium facti sit insolubile, adcautelam petitur dispensatio.

VIII. Post contractum matrimonium, superveniente dubio de existentia impedimenti, pars dubitans statim abstineat, saltem pro suo jure, ab usu matrimonii, et inquisitionem diligenter instituat, qua peracta: *a)* si certum sit impedimentum, matrimonium est nullum, eique statim congruum afferri debet remedium; *b)* si dubium remaneat impedimentum, standum est pro valore matrimonii, eoque licet uti; excipe tamen, *1)* si dubium sit de morte prioris conjugis, et *2)* si, certo stante impedimento, dubitetur de impetracione dispensationis.

B) In specie:

a) Impedimenta dirimentia matrimonii hodie nota in jure communi 20 numerantur, quibus adjungi debet etiam impedimentum speciali decreto irritante S. Pontificis inductum. — Memoriae juvandae causa, his versiculis, inordinate tamen, exhibentur impedimenta omnia dirimentia:

*Consensum simulans, vel non discreta voluntas,
Error, conditio, vis, clandestinus et impos,
Status servilis, raptus, cognatio quinque
Parta modis: crimen, votum, aetas, ordo, ligamen,
Disparitas cultus, Petrique supra potestas.
Haec incunda vetant connubia, facta retractant.*

*1. Impotentia*¹ coeundi [non sola « sterilitas »] antecedens et perpetua, sive absoluta, sive relativa, dirimit matrimonium de jure naturali.

2. Aetas canonica « pubertatis » ad valorem matrimonii requisita est annorum 14 pro viris, et 12 pro feminis. — Haec autem limitatio in sola præsumptione [fori externi] habilitatis fundatur; unde validum esse potest matrimonium ante prædicatum aetatem initum, si, ut aiunt, « malitia supplet aetatem », quod Ordinarii aut Sedis Apostolicae judicio statuendum relinquuntur. — Impedimentum, aetatis « legalis », est juris ecclesiastici; est autem juris naturalis, si absentia malitiae comittatur aetatis defectum. — Rarissime et non nisi pro publica causa, dispensatur in impedimento aetatis.

*3. Ligamen*² est indissoluble et unicum validi matrimonii vinculum. Jure naturali « polyandria », et jure divino positivo, in naturali fundamentum habente, « polygynia » prohibetur. — Nulla possibilis dispensatio. — Sedulo caveat Parochus ne conjuges ad novas nuptias admittat qui antea certam de « statu libero » fidem non fecerint⁴, de quo plura infra ad pag. 428.

¹ D. D. in tit. *De frigidis* X, IV, 15. At quae de re quidam et recentes disseruere, perquam caute legenda sunt; cum, physiologicae ac anathomicae notiones, paucis utiles, conplurimis vero valde periculosae extent.

² S. Thom. IV, Sent. D. 34, q. unic a 2, ad 3; Sanchez, *De Matrim.* VII, XCII. 36.

³ D. D. ad tit. *De Sponsa duorum*, X, IV. 4.

⁴ Decret. *Ne temere*, § 2^o.

4. *Raptus*¹, quatenus dirimit matrimonium, est violenta mulieris, etiam solummodo sponsae, abductio, intuitu matrimonii ineundi cum ipso raptore, de loco tuto in alium, ubi sub raptoris potestate detinetur. — Subsistit impedimentum donec mulier loco tuto non fuerit reddit, etiam si, durante raptu, quae prius invita fuit abducta, postea sponte in conjugium libere consentiat. — Hoc impedimentum, qua parte ad vim aut metum non reducitur, est juris ecclesiastici. Ad rem:

a) In raptu praesumitur violentia et intentio matrimonii. — Cessante raptu, cessat eo ipso impedimentum; verumtamen Parochus, inconsulto Ordinario, non assistat matrimonio. — Circumstantia raptus declarari debet si ex alio capite dispensatio aliqua sit impetranda. — Raptor incurrit excommunicationem latae sententiae.

b) Tridentina lege raptus non comprehenditur: a) raptus viri a muliere, b) raptus seductionis, c) raptus etiam proprie dictus, si mulier in raptum simul et matrimonium consentiat, aut si, invitam utique raptor abstulerit ut ea ipse abuteretur, vel ut raptu nuberet alii, d) spontanea fuga mulieris, sive sit sui juris, sive non, invitata et insciis etiam parentibus.

5. Ad errorem circa qualitatem personae refertur antiquum impedimentum dirimens conditionis seu status servilis²; quia vero servitus hodie inter christianos communiter est sublata, hoc impedimentum in plerisque regionibus nequit occurere. — Non valet matrimonium, etsi error circa statum servilem non dedisset causam contractui, et pars serva, libera fiat antequam pars libera errorem cognoscat. — Hoc impedimentum prout distinguitur ab impedimento naturali erroris, est juris ecclesiastici.

6. Impedimentum criminis³ triplici casu inducitur:

a) in casu solius adulterii, veri, utrumque formalis et consummati, cum attentato matrimonii, vel etiam ejusdem simplici promissione externa, vera, adultera, acceptata [neutro machinante]⁴;

b) in casu solius conjugidii, morte secuta, communi consilio patrati in ordine ad contrahendum matrimonium [utroque machinante];

c) in casu adulterii, ut supra, [etiam sine promissione matrimonii], cui accedit conjugidium, morte secuta, ab uno patratum, altero etiam inscio, in ordine ad contrahendum matrimonium [uno machinante].

7. Perfecta disparitas cultus⁵ obstat quominus matrimonium valide ineatur inter baptizatum quemcumque et non baptizatum; nec in tali impedimento « juris ecclesiastici » S. Pontifex, nisi gravi de causa, debitisque conditionibus positis, dispensat. — Baptisma dubium, sive dubio juris, sive dubio facti, haberi debet in utroque foro seu validum in ordine ad matrimonium; etiamsi post matrimonium certitudo adquiratur de baptismo defectu in alterutra parte; etiamsi dubium ortum sit ante matrimonium, et cum hoc dubio matrimonium fuerit initum; etiamsi de baptismō utriusque partis dubitetur simul. Non tamen valet matrimonium partis dubiae baptizatae cum certo non baptizata.

¹ Trid. XXIV, 6; D'Annibale, III, 466.

² D. D. in tit. *De Contugio servorum* X, IV, 9; S. Alphons. VI, 1017.

³ D. D. in tit. *De eo qui duxit in matrim.* X, IV, 7; Lehmkuhl II, 767;

Ballerini-Palmieri, *Op. th. moral.* VI, n. 1028; D'Annibale, *Op. cit.* 438-441.

⁴ Cfr. doc. XXIII, ad vol. calc.

⁵ D. D. at tit. I Aut. 16 lib. IV, X Benedict, XIV, *Singulari*, 9 feb. 1749.

8. *Votum*¹ obstat validitati matrimonii contrahendi in sequentibus circumstantiis:

a) *votum solemnē*² in professione religiosa emissum, quod etiam dirimit matrimonium jam contractum, si fuerit ratum tantummodo et non consummatum³;

b) *votum simplex castitatis* in Societate Jesu emissum, quamdiu vovens a Praeposito Generali non dimittitur⁴;

c) *votum simplex castitatis* emissum in saeculo a muliere quae consentit virum suum sacros Ordines suscipere⁵. Ab hoc impedimentum nonnisi in gravioribus circumstantiis S. Pontifex dispensat.

9. *Ordo*⁶ sacer in Ecclesia « latina » dirimit matrimonium contrahendum, et jam antea contracti usum prohibet [excipe⁷, nisi ante pubertatem, aut vi vel metu, aliquis fuerit ordinatus]. — Hoc impedimentum est de jure ecclesiastico, a quo S. Pontifex in rarioribus omnino casibus dispensat.

10. *Cognatio*, generatim, est propinquitas personarum inter se, in generatione fundata. Alia *naturalis* dicitur [consanguinitas, affinitas], alia *legalis* [publica honestas, cognatio spiritualis, adoptio].

11. *Consanguinitas*⁸ est propinquitas orta ex generatione naturali, sive per lineam directam, sive per collateralem; intra determinatos a jure gradus, constituit impedimentum dirimens, quo afficiuntur tum legitime et illegitime nati, tum illi qui per lineam maternam, tum qui per paternam sunt conjuncti. Ad rem:

a) Ad gradus consanguinitatis jure canonico computandos, haec est regula: in linea recta tot sunt gradus quot generationes, vel quot personae, stipite dempto; in collaterali seu transversa, tot reputantur esse gradus quot generationes, vel quot personae, stipite dempto, in linea remotiori [gradus, enim, remotior trahit ad se propinquorem]. Jus civile non unam tantum, sed utramque simul seriem transversam considerat, facta omnium generationum additione.

b) *Multiplex* habetur consanguinitatis impedimentum, etiam in eodem gradu: a) si plures sunt diversae lineae quibus sponsi ad stipitem eundem referuntur; b) si plures sunt stipites communes.

c) In linea recta, consanguinitas matrimonium dirimit in quocunque gradu indefinite, et quidem de jure naturali, saltem pro primo gradu.

d) In linea collaterali consanguinitas matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive⁹.

12. *Affinitas*¹⁰ est propinquitas ex naturali et completa copula carnali proveniens inter unam partem et consanguineos alterius, et vice versa. Duplex, ideo, affinitas: alia, enim, ex copula licita in vero matrimonio rato et consummato, alia ex

¹ D. D. tit. *Qui cler.* X, IV, 6.

² Trid. XXIV, c. 9.

³ Id. ib. c. 6; c. 2 *De consens. coniug.* X, III, 32.

⁴ Gregor. XIII, *Ascend. Domino*, 25 maj 1584.

⁵ Can. 10, 11, 12 D. 28, c. 14 D. 32; Benedict. XIV *Synod.* XIII, XII, 16.

⁶ Benedict. XIV, *Eo quamvis*, 3 maj, 1745. D. D. in tit. *Qui cleric.* [X, IV, 6].

⁷ Benedict. XIV, *loc. cit.*

⁸ D. D. in tit. *De consanguin. et affinit.* X, IV, 14.

⁹ Concil. Later. IV. c. 8. — Cfr. S. Thom. II^a II^{ae}, q. 154 a 9 ad 3: D'Annibale, *Op. cit.* III, 433 [16].

¹⁰ D.D. tit. *De eo qui cognovit*, X, IV, 13, *De Consang. et affinit.* 14. et Moralist, omnes, *in titulo*.

copula illicita extra matrimonium legitimum procedit. — Eadem est ratio computandi gradus ac pro consanguinitate. Ad rem:

a) Affinitas ex copula « licita » proveniens, dirimit matrimonium: in linea recta in infinitum¹, in linea collateralis usque ad quartum gradum inclusive². — Affinitas ex copula « illicita » proveniens, dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusive³. — Affinitas non parit affinitatem⁴.

b) Hoc impedimentum videtur esse de jure ecclesiastico pro omni gradu et linea⁵. — Ecclesia nunquam dispensat in primo grado linea rectae, in affinitate licita; nec etiam « solet » dispensare in aliis gradibus linea rectae. nec, nisi raro, in primo gradu linea rectae affinitatis illicitae, si impedimentum sit publicum.

13. Cognatio spiritualis⁶ est propinquitas ex lege Ecclesiae, ratione Baptismi et Confirmationis instituta. Ad rem:

a) Propter cognitionem spiritualem ex Baptismo et Confirmatione provenientem, nequeunt valide contrahere: minister sacramenti et patrini ex una parte, cum sacramenti subiecto ejusque parentibus ex altera parte. Nulla cognatio inter patrinum et matrinam.

b) Non afficiuntur hoc impedimento: a) infideles ad actum Baptismi aut Confirmationis quomodocumque concurrentes; b) illi qui materialiter tantummodo et non formaliter patrini vel matrinæ munus obeunt [ita v. g. inhabiles, inscii, procuratores, non volentes, etc.]; c) illi qui physice non tangunt baptizatum vel confirmatum, juxta ritum rationabili consuetudine loci introductum; d) predicti omnes in praecedentem num. in casu nullitatis aut dubii de validitate sacramenti. — Hoc impedimentum est de jure ecclesiastico, in quo difficile dispensatur super « paternitate spirituali ».

14. Adoptio⁷, seu cognatio legalis est propinquitas orta ex adoptione legitima, idest, facta ad normam legis civilis. Ad rem:

a) Propter cognitionem legalem ex adoptione perfecta provenientem, validum haberi nequit matrimonium: a) ratione « paternitatis » inter adoptantem et personam adoptatam ejusque descendentes in sua potestate retentos, idque perpetuo, etiam resoluta adoptione; b) ratione « fraternitatis » inter adoptatam personam et propriam prolem legitimam adoptantis, quamdiu ista sub patria potestate remanserit, aut adoptio non fuerit resoluta; item, ratione fraternitatis « legalis » impedimentum afficit personas adoptatas inter se; c) ratione « affinitatis » inter adoptantem et viduum conjugem adoptatae personae et vice versa, idque perpetuo, etiam resoluta adoptione.

15. Honestas publica⁸ est propinquitas quadam legalis exorta ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato non consummato, et ad tuendam publicam honestatem sponsalium instituta. Ad rem:

a) Impedimentum publicae honestatis ortum e validis sponsalibus de futuro, etiam impuberum, deinde legitime solutis, dirimit matrimonium cum consanguineis, etiam illegitimis, alterius sponsi, in primo gradu tantummodo; nullum prioribus sponsalibus afferit praejudicium, et semel inductum, semper usque ad dispensationem perdurat.

¹ L. 14, § Nunc videamus.

² Concil. Later. IV c. 8.

³ Trid. XXIV, 4: S. Penitent. 15 jan. 1866.

⁴ Cap. Non debet 4, De Consanguin. X, IV, 14.

⁵ Comunior et probabilior sententia,

⁶ Trid. XXIV, 2.

⁷ Id. in tit. De cognitione legali; Benedict. XIV. Synod, IX, 10, 3; Sanchez, VII, 63, Lehmkuhl, II, 759; D'Annibale, I, 65.

⁸ D. D. in tit. I, lib. IV, Sanchez VII, LXV; Gasparri: 705; S. Alphons. VI, 1061.

b) Pariunt etiam impedimentum honestatis publicae, usque ad quartum gradum inclusive: a) matrimonium ratum validum¹; b) matrimonium ratum et non consummatum, invalidum aliter quam ex defectu consensus, raptu aut clandestinitate, si tamen haberit figuram et speciem matrimonii, quod de « civili » matrimonio non est asserendum².

16. Consensus est ipsa « substantialis forma » matrimonialis contractus. Debet esse jure naturali sufficienter discretus [cum notitia essentiae et proprietatum matrimonii] verus, voluntarius, liber, non male conditionatus, et moraliter saltem simulaneus. Ad rem:

a) In matrimonio absolute requiritur utriusque contrahentis interior consensus³, quem, si deficiat, nulla auctoritas humana, etiam juridica fictione [ut evenire potest in aliis contractibus] valet supplere.

b) Praeterea, requiritur et sufficit quaelibet sensibilis, et naturaliter idonea pro aliis contractibus, expressio consensus, qua mutua traditio-acceptatio matrimonialis manifestetur; ita per verba de praesenti, signa, facta, epistolas, interpretem, procuratorem.

c) In jure canonico sufficit stricte consensus filiorum⁴ ad validitatem matrimonii; quod tamen pro illico habetur si parentes rationabiliter dissentiant.

d) Ad valorem matrimonii per procuratorem⁵ contracti, haec requiruntur: a) speciale mandatum in ordine ad determinatam personam; b) procurator per seipsum debet exequi mandatum, nisi aliter mandans statuerit; c) necesse est omnino ut mandatum in sua virtute permaneat usque ad momentum quo celebratur contractus.

e) Praeter formam naturalem contractus, quae consistit in consensu interno ed externo, alia ad ejus validitatem requiritur, videlicet forma legalis, id est, solemnitas a C. Tridentino ac a nuperissimo decreto *Ne temere* praescripta de Parochi et testium assistentia de qua infra.

17. Simulatio consensus⁶ cum formali interna intentione non contrahendi, aut sese non obligandi, matrimonium reddit nullum. Talis autem simulatio non presumitur, sed luculenter debet in foro externo demonstrari. — Valet matrimonium simulato consensu, cum sola intentione non adimplendi ejus obligationes [v. g. peccandi in re matrimoniali]. — Matrimonium joco initum est nullum defectu consensus. Consensus expressio per vim [physicam coactionem] extorta, ipso jure matrimonium reddit nullum.

18. Defectu discretionis⁷ matrimonium dirimente laborat ille qui tali non pollet notitia et advertentia intellectus ut possit naturam et vim matrimonialis contractus sufficienter capere; ita rudes omnino, qualibet de causa mente capti, nisi in lucido intervallo, surdimuti-caeci simul a nativitate, ebrii, dormientes, gravi motu passionis arrepti. Hoc impedimentum est de jure naturae; nulla possibilis in ipso dispensatio. — Infra aetatem canoniam, « praesumptio » stat pro defectu discretionis, qui, e contra, in puberibus debet probari⁸.

¹ Benedict XIV, *Inter omnigenas* 1744; Pius V, *Ad Romanum*, 1568; D'Annibale 434, 25; Benedict. XIV, *Synod*, XIX, XIII, 3.

² S. C. C. 7 april. 1879.

³ Pius VI *ad Episc. Agrien.*, 11 jul. 1789; Sanchez II, XXV, I, XI; D'Annibale, III, 443, 426; II, 302 [30], 412.

⁴ Trid. XXIV, 1; Scavini, III, 720;

S. Alph. VI, 489; Marc, 973; Sanchez, IV, XXIII; Feije, 163, 537.

⁵ C. ult. *De Procurationibus* in 6^o, ubi doctor. cons.

⁶ C. 26 *De Sponsal.* X, IV, 1.

⁷ DD. in titul. *De Despons. impub.* X, IV, 2.

⁸ S. Thom. IV, Sent. d. 36, q. 1, a. 5.